



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Crisis Theologica

Cárdenas, Juan de

Sevilla, 1687

Cap. VI. Quam merito iure damnata sit hæc propositio?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75689)

medij ad iustificationem. Cum Ergo in aliquibus casibus absolutio sic data ignaro eorum duorum mysteriorum sit probabiliter valida modo dicto, & in omni casu sit semper illicita, constat, intelligendam esse damnationem de incapacitate absolutionis, quoad licitum, non quoad valorem.

34. Probatur tertio. Nam in cap. *In obscuris* de Regul. iur. dicitur: *In obscuris, quod minimum est, sequimur.* Cum ergo dubitatur, an hæc damnatio comprehendat incapacitatem absolutionis quoad licitum, & quoad valorem, an dumtaxat quoad licitum, debemus sequi, quod minimum est, nempe loqui solum de eâ incapacitate quoad licitum. Maxime cum certum sit, hanc secundam incapacitatem contineri in damnatione, quæ principaliter respicit doctrinam quoad mores, vt doceantur Fideles, quid licitum sit, & quid illicitum.



CAPVT VI.

Quam merito iure damnata sit hæc propositio?

SUMMARIVM.

Extat præceptum de credendis explicitè his mysterijs. num. 35.

De alijs etiam, quæ sunt necessaria necessitate medij, etiam constat. num. 36.

Probatio incapacitatis ad absolutionem illius, qui hæc ignorat. num. 37.

35. **F**uisse iustissime damnatam hanc propositionem, inde constat, quod extet præceptum Divinum de credendis explicitè præcipuis mysteris, & spetialiter his duobus Trinitatis, & Incarnationis. Quod quidem præceptum constat ex Sacra Scriptura Marc. cap. vlt. *Prædicate Evangelium omni creatura, & qui vero non crediderit, condemnabitur.* Sed numquid Evangelium continet solum ea mysteria Fidei, quæ credebat Synagoga Iudæeorum? Quod si Evangelium non continet ea sola mysteria, sed etiam alia; quæ sunt præcipua in Evangelio, nisi Mysteria Trinitatis, & Incarnationis? Ergo dum Christus D. præcipit promulgari Evangelium, vtique præcipit promulgari Mysteria Trinitatis, & Incarnationis. & Ioann. 10. *Ego sum ostium, si quis per me introierit, salvabitur.* Ex quibus verbis constat obligatio intrandi per hoc ostium. Sed quomodo intrandum est! S. Gregor. lib. 7. Re. S. Greg. gistri Epist. 47. *Ille intrat per ostium qui intrat per Christum vera sentiendo, & predicando de illo.* Ergo Christus D. imposuit obligationem Fidelibus

libus intrandi per ipsum, vera credendo de ipso. Et Act. 16. *Custos carceris dixit Paulo, & sicut: Quid me oportet facere, ut salvus fiam? at illi dixerunt, crede in Dominum Iesum, & salvus eris.* Ergo ad salutem necessarium est credere in Iesum Christum, saltem necessitate præcepti. Alia sunt similia testimonia in Sacra Scriptura ad idem propositum quæ videri possunt apud Patrem Suarez disp. 12. de Fide sect. 4. num. 18. & apud P. Granado tract. 10. de Fide disp. 2. sect. 2.

Suar.
Gran.

36. De alijs mysterijs quæ sunt necessaria necessitate medijs ad iustificationem, nempe de existentia Dei, & de Deo remuneratore, constat præceptum ex illo D. Pauli testimonio ad Rom. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quia inquirentibus se remunerator sit.* Quod si aliquis sit ignarus etiam invincibiliter horum mysteriorum, & aliorum quorumcumque, quæ sint necessaria necessitate medijs ad iustificationem, dixi supra cap. 2. eum esse incapax absolutionis, atque adeo confessarium peccare mortaliter eum absolvendo, & poenitentem sic ignarum, petendo absolutionem, si advertat suam culpam: quod si suam culpam advertat, iam est vincibiliter ignarus.

37. Tum sic. Incapax est absolutionis qui accedit ad confessionem violans actualiter quodlibet præceptum, & maxime Divinum; sed qui accedit ad confessionem cum eâ ignorantia, violat actualiter id Præceptum Divinum: ergo incapax est absolutionis. Quæ quidem assertio constat etiam ex eis, quæ per totam disputationem seriem docuimus.

(* * * * *)

DISERTATIO. XLII.

An sufficiat semel credidisse hæc duo Mystera Trinitatis, & Incarnationis? Vbi de damnatione propositionis 65.

CAPVT I.

Refertur propositio damnata, & quam merito censura iuratur?

SUMMARIVM.

Propositio damnata, & multiplex sensus illius. num. 1.

Primus sensus non cadit in propositionem. num. 2.

Secundus est consequentia talis propositionis. num. 3.

Tertius sensus proprius. num. 4.

1. **P**ROPOSITIO 65. ex damnatis est. *sufficit illa mysteria semel credidisse.* Lumbier tom. 3. sum. num. 1783. triplicem sensum attribuit huic propositioni. Primum [sufficit semel credidisse, ita ut homo non teneatur præmittere hanc fidem explicitam reliquis confessionibus totius vitæ] Secundum [sufficit semel credidisse, ita ut quamvis postea obliviscatur, aut ignoret ea mysteria, possit esse capax absolutionis.] Tertium [sufficit ad implendum præceptum Fidei semel credidisse: quia unico solo actu impletur id præ-